



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 1. Desumpta ex cap. 34. lib. Genes. in quo describitur Dinæ curiosæ defloratio, Sichemorum fœdus & eorum clades.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS IX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 34. lib. Genes. in quo describitur Dina curiosa desloratio,
Sichemorum fœdus & eorum clades.

N. 51. *Considera:* **Q**uanta damna homini afferant curiosi & malè mortificati oculi: Dina cum, dum curiositate ducta & seducta, spectatum ivit mulieres alienigenas, rapta à Sichem, & ab eo corrupta est. Optimè ergo S. Ambros. oculos vocat *retia*, & Salvianus illos nominat *naturales animæ cuniculos*. Quare Prædicatorum Generalis secundus, cum ex gravi infirmitate usum unius oculi perdidisset, convocatis in capitulum fratribus dixit: fratres gratias agite DEO, quia jam unum perdididi inimicum. Heroïna Judith Holofernem superatura, id unicum petiit: *capiatur laqueus oculorum suorum in me*. Sciebat: curiosum oculum intuenti regulum esse qui dum nictat, necat. Verùm si tam nocivum fuit Dinæ, oculos non frænare in aspiciendis personis paris sexûs; quàm nocivum tibi erit ò Christiane! personis disparis sexûs familiariter colloqui? sicut Sal, quod ex aqua factum est, eidem si jungatur, mox solvitur, & deficit; ita masculus ex muliere natus, ut ei appropinquaverit, perdit virilem animum, & effœminatur; *nihil sentio*, ait S. August. lib. 8. Soliloq. *Quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quàm blandimenta fœmina*. Si teste Isaia cap. 40. *Omnis caro fœnum est*, & teste Jacobo Apostolo *lingua mulieris ignis*, quid ex hoc consortio nisi incendium exspectabitur? quod Diabolus in Paradiso non valuisset multò molimine, hoc unica fœmina etiam sine verbis effecit, dandò vetitum pomum Adamo, *qui comedit*. Genes. 3. armatis Israëlitarum cohortibus non virorum exercitum, sed imbelles fœminarum colloquium & consortium objecit Balac: *Fœminarum enim congressus*, ut asserit S. Basil. Serm. *Quod castitas virtutum fundamentum sit, ut præcipua Diaboli tela, qua maximos viros precipites egerunt, sunt omninò vitandi: quodque mirum in hoc genere: etsi nulla libido, nulla peccandi voluntas, nihilque nisi sanctum in dictis factisque admiremur; tamen ipso congressu à natura titillatio quadam*

quædam oritur, ut sexus statim diversitas sentiatur. Atque hinc S. Simon stylita conversus, nulli unquam mulieri oculos intendit: ut taceam penitus negatum colloquium; quin imò propriæ matri omnem recusavit accessum. S. Hieronymus, ut se ab hac difficili pugna expediret, non passurus in anima cladem, inter feras vitam egit, & Vigilantio sibi objicienti: hanc methodum vivendi non esse pugnæ, sed fugæ similem, responso dedit: *Fateor inbecillitatem meam: nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam.* Experiuntur, talibus colloquiis & consortiis addicti masculi, quod expertus est Sichem corruptor Dinæ, de quo ejus parens v. 8. hujus capit. meminit, asserens: *Adhesit anima filii mei anima filie vestra.* Concupiscentia enim carnis limus est, lutum viscosum, quod si quis apprehenderit, quasi inseparabiliter sibi agglutinatur. Mulier quidem facta est viro in adiutorium, sed incauto fit in exitium. Hoc ergò Christiane lector ut effugias, fuge mulierum consortia præsertim illa, quæ fiunt remotis arbitris.

Porro sicut erga corruptam Dinam se gesserat stuprator, ita Diabolus erga masculos se gerit, quos mulierum consortiis in sua egit retia, & in lapsum præcipites egit. Ut enim videt, eos per interna Angeli custodis monita salubri timore adactos tristari de perdita innocentia, de offenso Deo, de promeritis Tartari pœnis: illicò eos variis terrenarum rerum illecebris nititur delinire, ut hanc piam tristitiam tanquam proximam solidæ emendationis viam, penitus ex eorum mentibus abigat.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 35. lib. Genes. in quo describitur Jacobi Iter, in Bethel institutum, ut DEO sacrificaret.

Considera: **N**ON absque Mysterio & Speciali documento Jacobum, N. 52. DEO sacra facturum, petiisse ab uxoribus suis præter simulachra Deorum inanium etiam ipsas inaures, quas patriò more gestare consueverant: nam per has, tanquam per symbola illorum hominum, qui libenter aures detractoribus prebent, poterant æquè displicere DEO, ac per ipsa Idola, dum teste S. Ambrosio lib. de Jacob cap. 7. *Genus Idololatria est, benignè accipere detrabentem, eidem arridere,*